



101.

IN
1511
1511
1511
1511

104
105
106



INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4
sub Praesidio S. Frid. Bal
duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu
Christi filii Dei, hoc est
corpo meum, hoc est sanguis
meus Pr. Balduini.
- 14 De Praedestinatione
Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco.
nio Theologo constantis. et
primo Thuringarum Evangelista
Ab. D. Ant. Erbo
- 16 De Dei et Christi Oratio
no Mediatoris nostri, apud
creaturas gubernandas
universali et speciali pre
sencia. D. Bal. Mentzeri
D. Iust. Feurbornii
- 17 Abstergio Calumniarum
Jos. Coccii. Pr. Balb.
Mentzeri.
- 18 De Baptismo conclusionibus
comprehensus. Pr. D.
Petri Piscatoris
- 19 De persona Iesu Christi ser
vatoris nostri Pr. D. Ambro.
Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis
sacramenti Pr. D. Georgii
Mylly
- 21 De visitatione eccle
siastica Pr. D. Georgii
Mylly.
- 22 Caroleadius redivivus
contra Calvinianos Pr. D.
Georgii Mylly.
- 23 De verbo Dei scripto,
et traditionibus non
scriptis. in Disputationes
X distributa. sub Praes.
D. Leonhardi Huteri.
- Indice decem Disputationum
vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu
Principis Friderici Wilhelmii
Hutere D. Georgio Mylly.
- 35 Panegyris Actus Doctorei
iuncti consulti in die Jos.
Stigeli et Nipfla de inaugu
ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendae Concordiae
in contrav. De electione ad
vitam a Sen. Hutero D.
2 In morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam
de Aeneas et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.
Ph. Melanesthonis ad D. Frid.
Myconiū conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino
Lutbero.
- 40 Votum nuptiale



DISPUTATIO THEOLOGICA VI. 30

De

VARIIS EDITIONI-
BUS S. BIBLIORVM: ET CVM PRI-
MIS DE VVLGATA LATINA,
eiusq; Autoritate,

Quam Spiritu Sancto favente
SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia
V Vitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. IOHANNES ALBINVS,
Augustanus.

Ad diem 5. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.



Nobilissimis & Amplissimis
veræ doctrinæ, prudentiæ & virtutis gloriâ
Excellentissimis viris

Dn. *WOLFGANGO PALEO IN*
Hamel & Ainhofen Reipubl. Augustanæ Senatori.

Dn. *CAROLO RELINGERO RE.*
ipubl. August. Iudici.

Dn. *HEINRICO HERVARTO.*
Omnibus Scholæ orthodoxæ Augustæ Scholarchis.

Dn. Mæcenatibus, promotoribus & fautori-
bus suis omni obsequiorum genere
honorandis

HASCE THESES

In debita gratitudinis τεκμήριον

Et

Perpetua observantiæ σύμβολον
Submissè dedicat & offert

M. Iohannes Albinus
Augustan. Respondens.



Disputatio VI.

DE VARIIS EDITI- ONIBVS S. BIBLIORVM: ET CVMPRIMIS DE VVLGATA Latinâ, eiusque Autoritate.

I.

N gravi illa, de S. S. Scriptura controversia, qua nostris Ecclesiis cum Pontificijs intercedit, error eorum haud postremus censendus etiam ille est, quem de vulgatâ Latinâ S. Bibliorum editione fovent, atq; Scripturam authenticam non amplius in Hebrais Gracisq; augustissimis fontibus, sed in solâ & unicâ Latina vetere (quam vulgatam vocant) translatione constituunt.

II.

Sic enim Concilij Tridentini Patres precipiunt; Insuper *Sessione 4.*
statuit & declarat (S.S. synodus) ut hac ipsa vetus & vulgata ,,
editio, qua longo tot seculorum usu in Ecclesia ipsa probata est, ,,
in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus aut ex- ,,
positionibus, pro authentica habeatur, & quod eam nemo rejicere ,,
quovis praetextu audeat vel praesumat.

III.

Idem etiam ceteri scriptores & doctores Pontificij sentiunt, & inter hos imprimis Bellarminus, qui non tantum vulgatam
A 2 illam

illam latinam editionem per omnia retinendam esse contendit, sed etiam eam Hebraica Graecq, longè anteponit.

IV.

Cum verò aliàs fides & religio illorum in multis nobis suspecta sit, non ita temerè quavis illorum decreta pro oraculis recipimus, sed ea cum norma Sacra Scriptura conferimus: eàdem libertate etiam hoc in negotio utemur, & quid nam in hac Pontificiorum sententia desiderari & reprehendi meritò possit & debeat, hâc συζήτηση breviter ostendemus; ubi tamen prius statum controversia inter nos & Pontificios constituerimus.

V.

Illud ergo in questionem venit: Vtrum latina illa (quam vulgatam vocant) Bibliorum editio ita sit authentica, ut ab ea prorsus non dissentire liceat? An verò potius in veteri Testamento Hebraicus, & in Novo Graecus textus sit authenticus & reliquis editionibus singulis ac universis anteferendus?

VI.

Quâ in questione Adversarij priorem sententiam mordicus tenent, & adhuc hodie defendere conantur, quemadmodum ex ipsorum proprijs antè allegatis verbis videre licet. Nos verò posterioriorem, ut veritati magis consentaneam amplectimur atq, tuemur.

VII.

Solam autem & unicam Hebraam Veteris, & Graecam Novi Testamenti editionem esse sinceram illam & authenticam DEI Scripturam, imò fontem, ad quem in omnibus dubijs Scripturarum interpretationibus, ut & controversiarum dyjudicationibus semper & unicè est recurrendum, hinc patet, quia in omni controversia, qua aliàs super epistola vel Testamento, vel quocunq, alio scripto oritur, si illud in alias quoq, linguas transfusum est, partes litigantes illud tantùm exemplar authenticum esse agnoscunt, quod est originale, & in qua lingua primitus aliquid conscriptum est.

VIII.

Iam verò Moses & Prophetae veteris Testamenti nulla alia
quàm

quam Hebraea, quippe antiquissima, Evangelista vero & Apostoli Novi Testamenti libros non nisi Graeca lingua consignarunt.

X.

Nam ante diluuium, arcisq; Babylonica extruccionem unicam tantum fuisse linguam, qua Adamus caterique homines universi usi sunt ex Scripturis facile constat.

X.

Sic enim Gen. 11. v. 1. scriptum legimus: Fuit universa terra eiusdem labij, & verba erant eadem; ubi valde emphaticum illud, quod statim v. 7. & 9. Moses subiicit, in adificatione turris Babylonica primum confusum esse labium universa terra. Quem locum Chrysostomus explicans, inquit, Constat ante extruccionem turris Babel unam fuisse omnium hominum naturalem linguam, eademq; loquela omnes mortales usos.

Chrysost.
Hom. 30.
in Genesin.

XI.

Hanc autem communem linguam Augustinus in familia Heber permansisse, ab eoq; Hebraeam illam dictam esse scribit: ita ut Hebraea lingua, sit prima, antiquissima, reliquarumque linguarum omnium mater.

XII.

Cum itaq; Moses & Propheta in exarandis suis scriptis non nisi Hebraeo idiomate usi fuerint, nos solam & unicam Hebraeam Bibliorum editionem tanquam matrem reliquorum omnium merito agnoscimus, & cum iure Canonico ex D. Augustino pronunciamus; Quemadmodum veterum scripturae librorum fides ex Hebraeis voluminibus examinanda est, ita novorum librorum veritas Graeci sermonis normam desiderat.

Distinct. 9.
cap. ut Veterem.

XIII.

Quaritur autem hoc loco: Num Scriptura illa Hebraea, qua à Mose & Prophetis est consignata, ad nostram usq; aetatem pervenerit, an verò tempore captivitatis Babylonica, & incendiij templi Hierosolymitani perierit, ac postmodum ab aliquo ex Iudaeis demùm reparata fuerit?

A 3

Sunt

XIV.

Sunt sanè quidam in ea sententia, qui existimant in captivitate veterem omnem Scripturam penitus intercidisse: atq; hoc inde suspicantur, quia 4. Esdra 4. v. 23. & 14. v. 21. & 44. legitur, quod cum templum esset incensum, non tantum omnia que in templo fuerant, perierint, verum etiam volumen legis incendio consumptum fuerit, ita ut nemini Iudeorum vel unum exemplar manserit reliquum: post captivitatem verò Esdras divino afflatus spiritu totis 40. diebus dicta vixit quinque viris, qui summa celeritate, qua ab eo dicebantur exceperint: atq; hoc modo Scripturam Mosis ac Prophetarum recuperatam esse.

XV.

Sed respondeo, sententiam hanc esse falsissimam. Nam quoad librum illum quartum Esdra, rectè D. Lutherus, insistens vestigijs B. Hieronymi, plurima falsa, imò somnia prorsus anti-lia in eo, ut & tertio contineri, censuit: id quod ad oculum demonstrari nullo negotio potest.

XVI.

Primum enim in universa illa Iudeorum in Babylonem abductorum multitudine, ne unum quidem vel pium, vel Prophetam fuisse, qui exemplar legis divinae asservavit, veritati non est consentaneum. Quis enim hoc de Ezechiele & Daniele Prophetis affirmare ausit, qui certè in ipsa captivitate ex volumine legis populum Iudaicum informarant. Deinde testatur Nehemias cap. 8. v. 2. Esdras sacerdotem attulisse secum ex captivitate librum legis, illumque coram universa multitudine, qua ex Babylone reversa erat, legisse, à mane usq; ad meridiem. Tertio, si Esdras libros legis de novo dictasset, fecisset certè id lingua non purè Hebraica, sed vel Chaldaica vel mixta, quali suo in libro exarando usus est: at vero libros Mosis & Prophetarum purè Hebraicè scriptos esse, nemo negabit.

XVII.

Quod si verò omninò Esdras circa libros Veteris Testamenti curam aliquam suscepit, haud certe aliam suscepisse censendus est,

est, quam qua ipsorum librorum τὰς respicit, ut libri qui antè fuerant perturbatè dispositi ab Esdra repurgati, suoq; ordini restituti ac certaratione distributi fuerint, quod nominatim de Psalmis Hilarius in Prologo affirmat.

XVIII.

Ubi fortè & illud largiri possumus, quod nonnulli etiam ex Patribus referunt, Esdras novas & ad scribendum promptiores literas Hebraicas reperisse, eas nimirum quas currentes appellamus, & quibus adhuc hodie Iudaei utuntur, id quod tamen auctoritati Hebraici codicis nihil quicquam derogat.

XIX.

Sic ergo libri Biblici veteris Testamenti etiam durante captivitate Babylonica salvi & incorrupti manserunt, neq; ab Esdra novi dictati sunt, ita ut nos iam illas ipsas veteres Scripturas habeamus, quas Moses & Propheta ediderunt.

XX.

Hinc verò alia oritur quaestio, an videlicet editio illa, quam adhuc hodiè nos habemus, integra, an verò corrupta sit?

XXI.

Et quidem Bellarminus conqueritur, haereticos (eos verò intelligit, qui Thaidi Babylonica nuncium remiserunt) odio latine vulgatae, nimium tribuere editioni Hebraicae, quasi ad eam, tanquam ad Lydium lapidem omnia examinari & emendari debeant: & hanc quidem sententiam (quam omnes p̄ verissimam esse consententur) audeat Adversarius in gratiam cathedra pestilentia nominare apertissimè falsam.

XXII.

Et ne prorsus sine ratione insanire videatur, dupliciter sibi probandum sumit fontes Hebraicos non esse omnino puros: & primum exempla aliquot adducit, quibus Hebraum fontem turbidum fluere existimat; deinde quadam in Hebraeo textu prorsus non haberi contendit, quae tamen nec in versione LXX. interpretum, nec in Hieronymi translatione desint.

Ceterum

XXIII.

Ceterum cum de his cavillationibus potius, quam argumentis, in ipso disputationis actu nobis ex professo futura sit dissertatio: nihil attinet hoc loco pluribus hac in parte immorari.

XXIV.

Accessum proinde facimus ad editionem Gracam, ubi initio illud apud omnes in confesso est, Novi Testamenti libros non nisi Graco sermone conscriptos esse. Quamvis enim Evangelium Matthaei tempore Hieronymi Hebraicè extitisse, haud inviti concedimus; ipsum tamen Matthaum autorem illius editionis non esse constat 1. quia ipsi Patres id ab alio quodam ex Graco in Hebraum translatum esse scribunt, & alij quidem Iacobo Apostolo, alij Iohanni assignant. 2. Quia Iudaei eo tempore, quo Christus in terris viveret, suumq; Matthaus Evangelium scriberet, non Hebraicè, sed Syriacè loquebantur. Si ergo Matthaus Iudaeis gratificari voluisset, tum Syriacè potius, quam Hebraicè suum Evangelium conscripsisset. 3. Cum etiam DEVS in Novo Testamento Evangelium non solis Iudaeis sed toti mundo innotescere voluerit, veritati maximè est consentaneum, non vel Hebraeo, vel Syriaco, quippe solis Iudaeis cognito, sed Graco potius idiomate, cuius Iudaei etiam cum gnari erant, Evangelium Matthaei conscriptum esse.

XXV.

Id quod etiam de Epistola ad Hebraeos affirmamus, cuius archetypum Graco sermone consignatum esse vel inde viri docti colligunt quod exemplar Hebraum, illud quidem quod circumfertur emphasis illarum rerum, quae Graca editio nervosissime exprimit, minimè assequitur, fatentibus hoc illis, qui utriusque Linguae, Hebraeae scilicet & Graecae sunt peritissimi.

XXVI.

Ceterum Latinam illam, quam vulgatam vocant, editionem quod attinet, duo in primis de ea in controversiam veniunt, quorum prius eius autorem, posterius auctoritatem respicit.

Autor

XXVII.

Autor eius olim in Papatu semper & per omnia habitus est B. Hieronymus, nunc verò nova societas Esavitica, novam etiam sententiam in medium profert, nempe non totam vulgatae editionem latinam, sed eius tantummodò partes quasdam esse Hieronymi, reliquas verò alterius cuiusdam antiquioris interpretis, cuius nomen tamen exprimere non audent: quemadmodum censet Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 9.

XXVIII.

Quanquam verò assertio isthac in eo haud hallucinatur, quod Hieronymum autorem Latinae vulgatae, ex toto esse, negat: usq; tamen adeò incertum est, illas ipsas etiam partes, quas Esavita B. Hieronymo assignat, esse. Hieronymi, ut pro negativa longe firmiores militent rationes Contendit enim Iesuita, omnes libros Biblicos, excepto solo Psalterio, exceptis item libro Sapientiae, Ecclesiastici & Macchabaorum, autorem habere Hieronymum. Iam verò mediocriter saltem lingua Hebrae peritus ex collatione textus Hebraici & versionis vulgatae facillimè deprehendet etiam in reliquis libris sapissimè turpiter lapsum esse interpretem illum latinum, id quod de B. Hieronymo quippe non modo lingua sanctae peritissimo, sed & vulgatae istius versionis censore acerrimo vel cogitare nefas fuerit.

XXIX.

Et ne nimis insolens Esavita hac nostra videatur assertio, placet rem uno atq; altero exemplo demonstrare. Nam Gen. 1. v. 2. vulgata sic legit, spiritus Domini ferebatur super aquas: quam versionem Hieronymus reprehendit, & sic ex Hebraeo verendum esse dicit, spiritus Domini incubabat aquis, sive fovebat aquas instar avis.

XXX.

Sic Gen. 4. v. 1. in Hebraeo est, acquisivi virum ipsum Dominum I E H O V A: quae latinus interpres perperam ita reddidit, possedi hominem per D E V M. Sic in N. Testamento Galat. 5. v. 9. vulgata habet, Modicum fermentum fermentat 10.

B

tam

tam massam: quam versionem B. Hieronymus acriter reprehendit, & hac ita vertenda esse dicit, paululum fermenti; propterea quod modicum sit virtutis & laudis, non vero vitij. Sic etiam in quamplurimis alijs locis tam veteris quam novi Testamenti hanc latinam versionem Hieronymus reprehendit quod sanè, si ipse illius autor esset, nunquam fecisset.

XXXI.

Autoritatem verò vulgata illius editionis quod attinet, eam sanè Pontificij tantam esse dicunt, ut in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, ita ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

XXXII.

Et ad hanc opinionem stabiliendam proferunt rationem à tot seculorum usu petitam, quo hanc vulgatam editionem in Ecclesia receptam fuisse dicunt? Sed utcumq; illam antiquam faciant, tamen Hebraicâ Veteris Testamenti & Gracâ Novi editione longè eam recentiore esse constat. Et usa sanè est hac editione Ecclesia, cum melior translatio non extaret: quod si verò correctiorem & puriorem habuisset, veletiam intellexisset, eam utiq; vulgata anteposuisset.

XXXIII.

Nos sanè vulgatam illam editionem non penitus rejicimus, sed multa in ea non incommode reddita esse concedimus, quin & illud ultrò admittimus, optandum esse, ut aliqua extaret editio, quæ quàm proximè ad fontes Hebraæ & Gracæ lingua accederet: sed ita authenticam haberi illam, ut nullo prætextu à quoquam in ea quicquam rejiciatur, hoc in Ecclesia DELibera tyranni dem dicimus esse intollerabilem.

XXXIV.

Neg; desunt argumenta, quæ adversus autoritatem illam authenticam Latine vulgatæ firmissimè militant: ut quod ea in locis quàm plurimis ita est obscura, corrupta, depravata, planè barbara & solæcismorum plena, ut vel inde & autorita-

ris &

tis & fidei plurimum ipsi decedat. Et si enim Spiritus Sanctus non in eminentiâ verborum & phrasewn voluit esse posita mysteria fidei: interim tamen per Prophetas & Apostolos Grammaticè locatus est.

XXXV.

Deinde errores eiusmodi occurrunt in hac ipsa vulgata versione, qua fontes Hebraeos & Græcos manifestè corrumpunt: imò in analogiam fidei directè impingunt, id quod infinitis penè exemplis ad oculum demonstrari posset, verùm pauca delibasse sufficiat.

XXXVI.

Gen. 9. v. 6. ubi legitimus instituitur Magistratus, pars maximè necessaria quæ sententiam absolvit omissa est: ita enim reddidit latinus interpres. Quicumq; fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, omissum est, per hominem, videlicet legitimum magistratum. Sic Gen. 3. v. 17. translatum est, Maledicta terra in opere tuo, pro maledicta terra propter te. Esdra 9 v. 8. legitur pax illius, cum legi debebat paxillus. Iud. 11. pro altera matre legunt, adulteram matrem. 1. Reg. 19. pro cecidit, legunt, cecinit.

XXXVII.

Imò unicus ille Psalmorum liber, qui tamen quotidie sacrificulorum manibus teritur, ita partim mutatus & mutilatus, partim seculorum subsequentium vitio ita depravatus & corruptus, ut ad fontes relatus ortum suum minimè agnoscat. Nam Psalmo 2. v. 12. insignis habetur exhortatio ad Filium DEI incarnatum amplectendum, Osculamini, sive adorate filium: quæ ab interprete ita corrupta est, Apprehendite disciplinam, sententia diversissima. Sic Psal. 4. v. 3. Latina sic habet, usq; quo gravi corde? cum secundùm Hebraeum fontem ita legi debebat; usq; quo gloria mea erit in ignominia? Ita Psal. 37. v. 8. latina habet, Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: pro eo habet textus Hebraeus, Lumbi mei impleti sunt ardore. Item Psal. 68. v. 23. Convertam in profundum maris, pro, Reducam è profundo maris. Similiter Psal. 131. v. 5. pro victu habetur vidua, &c.

XXXVIII.

Ita etiam Novi Testamenti versio vulgata Latina erroribus atq; vitijs minimè caret: ut Matth. 9. v. 13. Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores, vox illa suavissima ad pœnitentiam planè est prætermissa. Sic Rom. 11. v. 6. ubi hac elegantissima sententia (sin ex operibus, iam non ex gratia, aliqui in opus iam non est opus) quia aliquid contra Pontificiorum merita facere videtur omnino est præterita. Luc. 15. v. 8. pro Evertit domum, legitur, evertit domum. Ioh. 16. post hac verba, Persequebantur Iudai Iesum, de sunt illa, & querebant illum interficere. Et alia quàm plurima, quæ omnia hęc enumerare non est locus

XXXIX.

Atq; hac quidem errata ipsos etiam Pontificios non latent, & tamen tanta eorum est impudentia, ut non vereantur sine ulla exceptione statuere vulgatam editionem non esse rejiciendam, ne ullo quidem prætextu, etiamsi scilicet vitiosè quædam sint reddita, quædam mutata, mutilata & addita, ita ut cum fontibus non consentiant.

XL.

Verùm enim vero non omninò nulla causa est, ob quam Romanenses tam acriter & pertinaciter pro hac latina vulgata Bibliorum editione dimicent: quo enim consilio huic suæ opinioni insistant, Dedipo divinatoris opus haud fuerit. Cum enim animadvertent Lutheranos (quos vocant) rolle in arenam disputationis descendere, nisi de dogmatibus fidei ex solis Scripturis iudicaretur: & verò probè perspicerent ex vulgata latina plerorumq; errorum Pontificiorum patrocinium peti posse, ideo maluerunt etiam vitiosissimam versionem pronunciarè authenticam, quàm ingenuè fateri, se in defensione suorum dogmatum omni prorsus Scriptura autoritate destitui.

XLI.

Vnde, exempli gratia, probaturi adorationem virginis Maria, protulerunt vitiosam versionem vulgatam Gen. 3. v. 15. Ipsa

15. Ipsa conteret caput serpentis: cum tamen iuxta proprietatem linguae Hebraicae ipse, vel in neutro genere ipsum fuisset transferendum. Sic pro stabilienda Sanctorum invocatione produxerunt illud Psal. 105. v. 1. Laudate Dominum in sanctis eius, cum in Hebraeo textu habeatur vox *Q̄P* qua sanctitatem vel sanctuarium, & non ipsos sanctos denotat.

XLII.

Sic pro confirmandis operum meritis adfertur illud Gen. 4. v. 13. Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear, cum tamen vox Hebraea non mereri aliquid, sed ferre (sive consequi) significet. Pro iisdem & illud Hebr. 13. v. 16. talibus hostijs promeretur Deus proferri solet: verum ex fontibus id ipsum facile refutatur: verbum enim quod illic habetur *וּבְרַעְיָתוֹ* non meritum, sed delectationem significat.

XLIII.

Similiter liberi arbitrij vires in rebus spiritualibus asserturi provocarunt ad vitiosam versionem Latinam Gen. 8. v. 21. Sensus & cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia: Cum tamen in Hebraeo legatur; Omne figmentum cogitationum cordis tantum malum est omne die. Vbi in vulgata 1. omittitur particula tantum. 2. pro actu ponit *דְּרַעְיָוִו*, quod tantum prona sit ad malum, cum longe plus sit iam actu malum esse, quam prona esse ad malum.

XLIV.

Sacrificij Missatici fundamentum ex corrupta versione Gen. 14. petunt, ubi in quibusdam vetustis latinis exemplaribus legitur, Melchisedech rex Salon offerens panem & vinum: cum in Hebraeo sit verbum proferendi. Sic cum Paulus se vocat dispensatorem mysteriorum DEI, hinc Tridentini Paterculi potestatem sibi sumunt dispensandi in Sacramentis, & alteram partem laicis adimendi, cum Paulus de administratione, non de mutilatione loquatur. Sic coniugium in numerum septem Sacramentorum referentes, ex veteri translatione id pro-

bare conantur, cum Apostolū in hac verba sribentē adducunt,
Sacramentum hoc magnum est, cum in Græco sit vocabulum
μυστήριον.

XLV.

Haud igitur stultè sapiunt Tridentini Arcopagita, quod
hanc solam versionem haberi authenticam, nulloque prætextu
reiciendam esse, decreverunt. Hinc enim maximum præsidium
ad suorum errorum confirmationem petere possunt.

XLVI.

Cum verò non modò DEVS in Veteri, sed & in Novo Te-
stamento severissimè præceperit, ut nihil quicquam verbo suo
vel addatur vel adimatur, nedum mutetur, aut corrumpatur:
rectissimè fecerimus, si non prius vulgatæ editioni fidem adhi-
buerimus, quàm ad fontes ipsos eam examinaverimus.

XLVII.

Quod restat, DEO OPT. MAX. gratias agimus immor-
tales, quod adhuc hodie Ecclesiæ largitur Prophetas, doctores,
pastores, eosq; dono linguarum per Spiritum Sanctum instruit,
ut hoc adiuti adminiculo, omnia ad Ecclesiæ adificationem, Scri-
pturæ Sacre illustrationē, multorumq; hominum salutem
accommodare possint. Cui etiam sit gloria & ado-
ratio seculis nunquam finiendis,

Amen.

F I N I S.

d
u
e-
10
r.
i-
ir-
es,
it,
ri-

EX OPPOSITO





94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679



Sb.

Retro

LD 17







DISPUTATIO THEOLOGICA VI. 30
De
VARIIS EDITIONI-
BUS S. BIBLIORVM: ET CVM PRI-
MIS DE VVLGATA LATINA,
eiusq; Autoritate,

Quam Spiritu Sancto favente
SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri
Dn. LEONHARTI HUTTERI,
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia
V Vitebergensi Publici discutiendam
proponit

M. IOHANNES ALBINVS,
Augustanus.

Ad diem 5. Aprilis horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.